



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

De interrogato de sua Fide.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Dices, pone aliquem non posse vincere tentationem contra fidem, nisi eliciendo actum contrarium, tunc is jam obligabitur ad actum fidei. Respondeo, tunc etiam esset per accidens ratione subjecti sic affectus, vel certe ratione præcepti negativi, de fide non abnegando, non vero ratione præcepti positivi de actu credendi, de quo hic signanter cum omnibus Doctoribus agimus. Adde primo, hunc casum fore tam rarum, ut vix possit in moralem considerationem cadere. Adde secundum, quo modo fieri tentatus talem tentationem contra fidem non posse alius remediis, aliisque virtutum actibus vinci, sed solum actu contrario fidei? quis ei id revelavit? ergo jam apparet per tuam doctrinam scrupulos ingeri fidelibus, & nil præterea. Meam vero in simili approbat Castro Palau tom. 2. d. 1. de oratione, part. 8. num. 4. quærens de necessitate orationis, sic habet: *Nota te ab hac necessitate in supradictis casibus contingere excusari, quia obligationis invincibiliter oblivisceris, cum nec cognoscas gravitatem tentationis, nec periculum, nec orationis necessitatem.* Sic Valentia, Lessius, Sanchez.

17. Septimum tempus assignatur à Bañez, 2. 2. q. 13. artic. 1. dub. 2. quando est gravis tentatio etiam in aliis materiis, tunc enim recurrendum est ad Deum, quod non potest fieri sine metu fidei circa ipsum Deum, ad quem confugi non potest, nisi illi credatur. Sed jam vides, ut superioribus dictum est, id esse ratione actus adjuncti.

18. Octavum denique tempus assignatur ab eodem Sanchez *ibidem*, cum primum fides alicui sufficienter proponitur, quia cum actus fidei sit de necessitate medii, non est ratio, cur quam primum non amplectatur. Sed hoc certe non negatur, ut num. 8. vidimus, cum id sit ex necessitate medii; At verò hic loquitur de necessitate præcepti dumtaxat.

19. Ex his duo illa numero 9. dicta facile colligis, & sapissime per accidens urgere præceptum de actu fidei, & rationabiliter prout præceptum per se, & directe exigens illum actum, impositum non fuisse.

S. II. De tertio Præcepto Fidei, illam exterius confutandis

1. **R**egula prima, Tunc solum fidem exterius confiteri sub mortali debes, quando exterior tua confessio necessaria est, vel ad Dei magnum honorem, vel ad animæ proximi salutem, vel ad tuam. Ita S. Th. 2. 2. q. 3. artic. 2. Suarez de fide conf. lib. 6. cap. 9. numero 3. alique allati à Bonacina circa primum Dec. præceptum d. 3. quæst. 2. p. 3. numero 3. & Layman lib. 2. tom. 1. cap. 11. num. 1. Ratio regulæ est, quia etiam & aliarum virtutum actus tunc sunt in præcepto, quando sunt necessarij ad finem charitatis erga Deum, erga proximum, erga se ipsum. Nota cum Valentia tom. 2. quæst. 2. illud (magnum) quia secus, semper teneris, cum semper aliquis honor simpliciter à Deo subtrahatur, te non confiteri.

2. Regula secunda. Quando non est necessaria, vel non utilis, quin potius tua exterior fidei professio perturbationem gigneret, peccabis eam exhibendo venialiter, vel mortaliter juxta perturbationis mensuram. Ita Layman *ibidem*. alique. Ratio est, quia nisi forte, (aut certe sapissime accidit) à bona fide, & inadvertentia exortendæ perturbationis excusarieris, temere ageres, & imprudenter.

Ex his duabus regulis sunt omnes ferè particulares casus decidendi, quorum aliquot producam hic in gratiam lectoris, & solvam.

Primus Casus. De interrogato de sua Fide.

3. Quidam, evaginato gladio, multis in navi existentibus minatus est, ut dicerent, quinam ex ipsis Catholici essent; nam eos occidere omnino se velle jactabat. Nemo ex Catholicis suam fidem fassus est, & rectè ab ipsis factum esse Theologi pronuntiaverunt,

ita Tabiena verb. Fides, quæst. ultima, Sanchez in Dec. lib. 2. cap. numero 8. Bonacina loco citato, alique, quia nullus inde honor Christi Domini periclitabatur, & scorta ille, cum publicam auctoritatem non ageret, potius fuit illudendus, quam audiendus. E contra, Judice seu publica potestate interrogante Christianum de sua fide, tenetur is, etiam cum mortis periculo, fidem fateri; secus magnus Deo, & Christo Domino honor subtraheretur. Ita idem Sanchez *passim*. At unde tantus subtraheretur honor? Respondeo. Id supponunt Doctores, & colligunt ex sensu Ecclesiæ primitivæ, quæ se in ejusmodi casu obligatam esse fidem fateri semper existimavit; & merito, quia verè magnus est Dei honor, quod Christianus, coram Principibus hujus sæculi contra oblatrantibus, fidem suam fateatur. Præterea dum mortis, & periculo minis in publico, judicio Fides nequaquam cedit, mirum in modum ejus veritas confirmatur, atque in regnis radicem agit, quare si quando exterior ejus confessio urget, tunc certe urgere, multum est rationabile.

Atque hinc rectè colligit S. Thomas, si vir admodum gravis interrogetur etiam à privatis, verbi gratia, ab hæreticis, ipse autem si taceat, vel respondere effugiat, magnus aliquod populo scandalum oriri rationabiliter timeat, tacerè non posse, quia in illis circumstantiis magnus Dei honor externam fidei confessionem exigit, ut supponit.

Secundus Casus. De interrogato, An sit Sacerdos, vel quid simile.

4. Si quis interrogetur ab hæretico, verbi gratia, Primo, esse Sacerdos, vel Monachus? Secundo, Audine Missam? tertio, abstinere à carnibus die veneris? Quarto, esse Papista? advertatque interrogatus has interrogationes apud interrogantem æquivalere huic, Esne Catholicus? obligatum fateri se esse talem? Respondeo, cum Doctoribus citat. si interrogans est privata persona, non obligari jam patet ex dictis. An, si sit persona publica, dico adhuc non obligari, sed scilicet, vel responsum eludere posse in tribus prioribus interrogationibus, obligari fateri se esse talem in quarta. Ratio est, quæ in quarta illud (esse Papista) æquivalere illi (Esne Catholicus) in tribus prioribus non item; multi enim sunt Catholici, qui nec sunt Sacerdotes, nec abstinere à carnibus feria sexta, nec Missam audiunt, &c. An possint positive respondere se non audivisse Missam, non esse Sacerdotem, &c. dicam mox §. 3. num. 9. sine.

Tertius Casus. De non obediens persecutoribus Fidei.

5. Efficit Tyrannus Chrystianos à suis regnis, vel quidam penas pecuniarias contra illos taxat, vel præcipit, ut certas vestes ferant in signum suæ Religionis, tenenturne ij abire in exilium, vel poenam, solvere, vel illud ferre? Sic enim obediendo tenerentur prodere se, atque aded fateri se esse Christianos. Respondeo non teneri. Ratio est, quia ex una parte Tyrannus tunc injustè agit, & ex alia ad se se propalandum, nullo interrogante, nemo tenetur sic Sanchez *ibidem* d. 6. c. 4. n. 29. Excipe nisi forte magnus Dei honor, vel spiritualis proximorum salus aliud requireret; id quod colligi ex dictis potest. Ita Castro P. tom. 1. tract. 4. de fide, diffin. 1. part. 15. num. 4. Propter eandem rationem teneris è contra te occultare, si sic crederes te in meliora tempora reservatum posse melius fidem promovere, ut rectè monet Castro P. mox cit. num. 3.

6. Quid autem, potestne Christianus fugere è regno, in quod timetur superventura persecutio contra fidem? Respondeo cum eadem exceptione, si ejus sis conditionis, ut te fugiente, periclitetur Dei honor, vel salus animarum, tuique muneris observantia, fugere non potes, secus potes, ut modo dictum est. Sic Sanchez, Becanus, Reg. Fill. alique apud Bonac. loco citato num. 9.